

Secundo, tulit æquo animo sannas et irrisiones in ædibus Jairi a turba tumultuante et tibicinibus. Pertransiit vero eos et fecit quod facturus. Neque enim curandum si cæci irrideant videntes, aut claudi recte ambulantes. Nec vituperatur bonus, cum a malis vituperatur: potius laudatur.

Tertio, non respondit irrisoribus, ne eos exasperaret, illique in blasphemias erumperent. Ob quam etiam causam placidissimis verbis eosdem recedere jussit: *Non est enim mortua puella, sed dormit*, inquit; memor nimirum illius Eccl. VIII. *Non incendas carbones peccatoris*.

IX. Discimus, mundum contemnere, et quæ in eo sunt, spes mundi inanes. Primo, a Christo, qui nullo penitus pretio sanitatem omnibus impertivit. Mulier illa omnia sua erogaverat in medicos, nec tamen inde melius, sed pejus semper habebat: a Christo vero sanata est, nulla sua impensa. Sed nec laudem, quidem pro mercede recipere Christus voluit a mundo; prohibuit enim parentibus puellæ ne beneficium acceptum propalarent. Deinde, mulieri prædictæ sanitatem quidem restituit, non restituit tamen aurum in medicos erogatum; quemadmodum nec alium ullum e paupere divitem fecit: quia videlicet opes contemnendas esse duxit, quas nec ipse requisivit, nec suos habere voluit.

Secundo, a filia Jairi, quæ maxima spes parentum subito fefellit, dum in ea ætate, qua maxima parentibus gaudia sperabatur allatura, e vita emigravit. Erat unica filia et totius domus fundamentum, cui omnis honor, nomen, opes et fiducia parentum inædificanda erant; et en unica febris adfuit et totum ædificium subruit. Ita nimirum mors omnes mundi spes, conatus et machinas evertit. Forsitan parentes illi cogitarunt in animo suo, quod ferunt fabulæ de rustico, qui lactis amphoram portans ad forum, tacite secum cogitabat: Tanti vendam lac meum: ex pretio emam gallinam, illa mihi generabit pullos: illos alam et grandiores effectos vendam: ex pretio emam porcellum, quem impingat et vendam emamque vitulum, illum saginabo et vendam. Quid tanto pretio emam et faciam? Emamequulum, cui filius meus inequitet. Hoc dicto gestiens subsultare cœpit ac exprimere speciem filii in equo exultantis, interim e capite amphoram excussit et lac omne in terram effudit ac cum lacte pariter omnes suas spes et res, gaudia et molimina. Ita sibi multi multa et mira fingunt, pollicentur, moliantur, quæ tamen mors vel morbus vel sinister aliquis casus illico evertit. Audiamus S. Hieronymum, in Ps. XCIII. « Vultis scire, inquit quoniam cogitationes vanæ sunt hominum? Pa-

ter et mater nutriunt filium, promittunt sibi de illo felicitatem, mittunt ad studia, erudiunt, venit usque ad adolescentiam, ut etiam militet: cum omnia cogitaverint, per annos triginta, una febricula venit et tollit omnes cogitationes. »

X. Discimus in bono perseverare, nec terreri obtreccionibus malorum, quemadmodum et Christus posthabitis obtreccatoribus clamantibus actum esse de puellæ salute perrexit ad locum, ubi jacebat, eamque excitavit tam facile, quam si dormiens, non mortua fuisset. Artificium est dæmonis initio boni operis tricas excitare et sementem in germine suffocare, difficultates ingerere, etc. Sed tu si sapis, persiste in proposito et eluctare pro viribus: videbis, in progressu rem, quam proposuisti, difficilem adeo non esse et: *Cum ingressus fueris* (per semitas æquitatis) *non arctabuntur gressus tui et currus non habebis offendiculum*, ait Prov. IV. Sapiens.

## CONCIO X.

## MYSTERIA.

I. Cur mulier tetigit fimbriam Christi? — II. Cur Christus hoc miraculum manifestari voluit? — III. Quid mulier hæc mystice? 1. Gentilitas. 2. Anima peccatrix. — IV. Cur ivit Dominus ad filiam Jairi non ad filium reguli? — V. Cur ejecit tibicines et turbam? — VI. Cur tenuit manum puellæ, et cur clamavit: *Puella surge*? — VII. Cur præcipit taceri hoc miraculum? — VIII. Quid mystice hæc puella?

## THEMA.

*Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit.*  
Matth. IX.

Mirum de herba sabina, aliis rodolphane dicto scribit Plinius, lib. XXIV. cap. XI. folia ejus quadripedibus venenum esse, homini vero contra serpentum venena præsidium. Non absimilis huic Sacra Scriptura est, quæ catholicis quidem, utpote ratione utentibus veraque fide præditis salutiferum est præsidium contra omnes diabolici serpentis tentationes et illecebras peccatorum; at vero novatoribus, fide destitutis, qui non secundum rationem, sed juxta carnis suæ appetitum vivunt ac Scripturam interpretantur fit et toxicum. Ecce enim hodiernum evangelium, unde nos sana omnia et salutaria haurimus, ipsi in suam perniciem trahunt, ad errores concinnandos. Asserit Marcus et Lucas Christum archisynagogo dixisse: *Crede tantum et salva erit*, (filia tua.) Hoc ipsi avide arripiunt et inde venenum sugunt pestiferi erroris, sufficere solam fidem absque ope-

ribus ad salutem; cum tamen hic aperte non de salute aut justificatione, sed de miraculo sanandæ puellæ sermo sit. Sufficiet ergo fides ad miraculum hoc obtinendum, et filiæ sanitatem; sed non inde colligas sufficere eam solam ad salutem animæ. Rursum jubet Dominus e domo archisynagoga, facessere tibicines et turbam tumultuantem, flentes quoque et ejulantes. Arripere et hoc novatores aliqui, indeque collegerunt eliminanda esse e templis organa et instrumenta harmonica musicamque universam, prohibendum quoque esse luctum mortuorum. At quis hic non videt, neutrum improbari a Domino qui id solum insinuare vult, non esse deplorandam seu luctu prosequendam puellam, quæ verius ipsi vivat, mox ad viam revocanda? Manifeste igitur cernimus venenum esse hæreticis sacram evangelium, quod fidelibus est theriaca, præsentissimum veneni remedium. Sed jam ad evangelii declarationem nos accingamus.

I. Cur mulier illa tetigit fimbriam vestis Christi? Resp. primo, ex magna fide; credidit enim tantam esse Christi sanctitatem, ut etiam ejus vestes earumque minimæ partes vim sanctificandi ac sanandi ab eo trahere possent, quodque amplificat ejus virtutem, prima ipsa fuit, quæ hoc credidit, habuitque plures sectatores, qui rogabant Christum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent, Matth. XIV. Confundit ergo hæreticos, qui persuaderi nequeunt, crucem, v. g. aliaque passionis instrumenta virtutem aliquam supernaturalem traxisse a Dominici corporis contactu, uti et reliquias sanctorum. Quodque mirandum est negant viventi Christi corpori, quod concedere debent emortuo Elisæi, cujus ossa in tumulo postquam attigit quidam defunctus, casu in eum injectus, illico revixit, IV. Reg. XIII.

Secundo, ex humilitate cum enim fædo laboraret morbo, et (ut sensit Eusebius, l. VII. c. XIV.) mulier esset gentilis ex Cæsarea Philippi, non se dignam reputabat, quæ Christum ipsum tangeret, vel per vestem apprehenderet, itaque extremitatem solam digito saltem tangit, et quasi nec hoc auderet, retro accedit. Quanta humilitatis adinventio? Quia ergo se minimam reputabat, magna facta est, audiitque a Domino: *Confide filia, fides tua te salvam fecit*. Filia vocatur, quæ se ancillæ instar ad infima dejecit. Ita nimirum Deus exaltare humiles et ex infimis, qui se tales aestimant, facere summos solet, quemadmodum et hanc mundi machinam e nihilo creavit. Unde S. August. serm. X. de verb. Dom. ait: « Magnus esse vis? A minimo incipe. Cogitatas magnam fabricam construere celsitudinis?

## POST PENTECOSTEN.

De fundamento prius cogita humilitatis. » Hinc tantus evasit Franciscus, quia minimus esse studuit; cujus hæc erat oratio: « Domine custodi tuum donum in me, quia ego ejus sum latro, dum tibi ejus gloriam suffuror mihique adscribo, » Bonav. in vita.

Tertio, ex veneratione Judaicæ religionis et mandatorum Dei. Quia enim Num. XV. præceptum erat Judæis ut facerent sibi fimbrias per angulos palliorum, ut earum aspectu recordarentur mandatorum Dei et dignoscerentur a gentilibus, colligitur etiam Christum gestasse in sua veste fimbrias tales. Has ergo venerabunda tetigit mulier, velut symbolum religiosi viri, cujus conversatio cœlestis esset (quod indicabat ianthinus color iisdem insertus) sperans se per eas consequi posse, quod optabat. Ad hujus, ut opinor, imitationem solent aliqui, præsertim Italia, sacerdotum casulas in extremitate arripere ac deoseculari, laudabili pietate.

II. Cur Dominus miraculum hoc occulte patratum manifestari voluit? Resp. primo, propter gloriam Dei, quo nimirum mulier beneficium clarius agnosceret, Deoque gratias ageret. Censum aliquem petit Deus de bonis in nos collatis, sed exiguum valde, ut beneficium agnoscamus ac profiteamur, ne de eo, quasi propriis viribus obtento superbiamus, et ut mereamur plura alia accipere. Non eget Deus gratitudine nostra, sed egemus nos.

Secundo, propter ipsam mulierem, ut magnam ejus fidem populo manifestaret publiceque commendaret. Scivit Dei sapientia quisnam ipsum tetigisset; quæsit tamen: *Quis me tetigit?* ut mulier se proderet, ipseque ejus fidem aliis imitandam proponeret. Frequens hoc erat Domino, quædam interrogare, ut virtutes aliorum extimularet ac monstraret, adeoque lucernam quasi absconditam super candelabrum poneret; nostrum ergo profectum, nostrum honorem, non suum undique quæsit.

Tertio, propter archisynagogum, ut opinor; ut in fide suscitandæ filiæ eum prævio hoc miraculo, obiter quasi patrato, confirmaret. Videt enim Dominus brevi adventuros nuntios, qui dicerent ei: *Quia filia tua mortua est; quid ultra vexas magistrum?* Marc. V. Ne ergo dejiceretur hoc nuntio, vacillaretque in fide, miraculum sanate mulieris constare ipsi voluit. Quam bonus et benignus Dominus, qui pro viro hoc sollicitus, lapsus ejus prævenire tam paterne satagit!

Quarto, propter circumstantem populum, hoc miraculo ædificandum et ad fidem perduendum; non enim tam corporibus, quam sanandis animabus miracula patrabat. Atqui si latuis-

set hoc miraculum, nullum inde fructum populus hausisset; uti etiam nos. Ipsa mulier si motu proprio, non interrogata a Christo, beneficium protestata fuisset, audita non fuisset, et fidem non meruisset. Sapientissimus etiam Dominus non ipse miraculum deprecatur, sed mulieri occasionem præbet id deprecandi, ambitionem a se amolians.

Quinto, propter nos, ut doceret non sufficere per fidem et contritionem confiteri Deo peccata sua, sed requiri etiam confessionem oris sacerdoti faciendam, non obstante nostra verecundia. Propterea circumspiciens et querens: *Quis me tetigit?* mulierem ad confessionem traxit; ut non erubesceret effari, quo morbo detenta fuisset; et nos interim doceret non erubescere confiteri, si non erubuerimus peccare.

Quod si volumus alleviare confessionis difficultatem; primo, sæpe confiteamur; facilius everitur cubiculum vel templum singulis septimanis, quam singulis annis: secundo, vita gravia peccata, et facilis erit confessio, quæ ad hoc etiam a Christo instituta est, ut esset frænum gravibus peccatis: tertio, pone pondera peccata tua et ex animo detestare; tunc videbis nihil esse grave quiddam pro iis redimendis feceris.

III. Quid mulier hæc mystice notat? Resp. primo, sensu allegorico gentilitatem. Primo, hæc sanatur in itinere: filia Jairi, quæ Judæismum significat, (utpote puella Judæica) sanatur in domo; quia gentiles extra Ecclesiam vagabantur, expositi dæmonis insidiis: Judæi vero in Ecclesia et peculiari Dei tutela erant. Secundo, hæmorrhœissa prius sanatur, quam puella; tametsi Christus ad hanc dumtaxat instituerat iter suum: ita licet Christus ad Judæos tantum missus fuerit, iis tamen gentiles salutem præripere; prius enim et facilius crediderunt: Judæi ad finem mundi primum convertendi sunt. Tertio, duodecim annos nata erat Jairi filia, et per totidem illos annos hæmorrhœissa laboraverat fluxu sanguinis; quia quamdiu apud Judæos verus Dei cultus viguit, tamdiu laboravit gentilitas idolatriæ cultu, quo in omni generis vitia diffuens omnes animæ vires perdidit, omnique virtutis vigore exhausta est. Quarto, erogaverat hæc mulier, frustra tamen, omnia sua in medicos: gentilitas quoque omnes suas vires in philosophorum præcepta impenderat: nihil tamen inde virium, sapientiæ et auxilii consecuta, nec sordibus suis liberata est. Quinto, apprehendit illa fimbriam solam, non vestimentum Christi; quia non vidit Christum in carne oculis suis, quemadmodum Judæi; (quorum typus, filia Jairi

manu Christi apprehensa et erecta est) nisi in paucissimis subjectis: fide tantum apprehendit Christum, ex auditu evangelii. Ad hæc a veste Christi sola, hoc est, ab apostolis ejus edocta et sanata est per fidem: Judæi ipsam Christi manum tetigerunt, quia miracula et conversationem ejus viderunt, edocti ab ipsomet. De hac igitur gentilitate pulchre vaticinatus est Zacharias, c. VIII. « In diebus illis, (gratiæ et evangelii), in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobiscum, audivimus enim quoniam Deus vobiscum est. » S. Hieron. per Judæum accipit Christum, alii apostolos. Puto cum S. Hieronymo Christum esse Judæum illum, vestem ejus apostolos, per hanc apprehenderunt. Christum gentiles, dum apostolos secuti dicebant: *Ibimus vobiscum*: et quemadmodum pueruli apprehendunt vestem patris, sectando eum ne cadant, neve ab eo separentur, et gentiles secuti sunt apostolos, committendo se eorum directioni et disciplinæ, adherendo eis per fidem.

Secundo, sensu morali significat quamvis peccatricem animam. Hæc enim per peccatum in fœdum incidit morbum, quo pene omnes animæ vires supernaturales perdit, et a Dei conspectu elongatur: cupiditatibus diffuit: alios sibi medicos et quasi deos quærit, in quos omnem suum laborem, curam, cogitationem et amorem, impendit: mundum, carnem, voluptatem, pecuniam, honorem, hi illius medici sunt: sed in iis nullum reperit præsidium, redigitur potius ad extremam inopiam ac famem: quotidiano etiam et quasi continuo peccatorum fluxu prorsus enervatur. Quare si curari vult, veniat ad Christum, insistat ejus vestigiis, non curet mundi compressionem atque irrisorem, impedimenta omnia perumpat, tangat Christum per fidem et contritionem: recenseat quoque confessario suas ægritudines dicatque ei omnem veritatem uti hæmorrhœissa fecit.

IV. Cur ivit Dominus ad filiam Jairi, non ivit ad filium reguli, tametsi rogatus? Resp. primo, ad regulum non descendisse, quia ipsi voluit ostendere potentiam virtutis suæ, qua etiam absens mederi ejus filio posset, quod nondum credebat regulus: ad Jairum descendisse, quia ipsi voluit exhibere humanitatem et comitatem suam; nec erat opus ostendere isti viriditatem suam in distantia loca. Simili modo ob aliam et aliam rationem in hac ipsa historia vult manifestari miraculum sanatæ mulieris, taceri miraculum suscitæ filię.

Secundo, ad Jairum descendisse propter no-

vitatem et magnitudinem miraculi, veritate comprobandi. Erat enim filia ejus a morte excitanda, quod eatenus non fecerat Dominus. Itaque ut constaret fides et certitudo miraculi, conveniebat, ut ipse ad mortuam veniret eamque tangeret, et ad vitam revocaret. Quod si absens eam suscitasset, dubium esse poterat, num ab ipso suscitata, an potius e lethargo experrecta esset.

V. Cur ejecit tibicines et turbam tumultuantem. Resp. primo, quia non erat cur defunctam plangerent, mox resuscitandam. Indicavit eo verbo Dominus, certam esse filię resuscitationem, nec per orationem, sed per imperium ab ipso expectandam, velut a Domino vitæ et mortis. Hanc causam insinuat cum ait: *Recedite, non est enim mortua puella*, q. d. frustra est luctus vester, quia resurget puella.

Secundo, quia indigni erant, qui viderent mysterium resurgentis: *Suscitantem enim irriserunt*, inquit D. Hieronymus. Scribit S. Augustinus, tract. LXXVI. in Joan. *Suscitatum Christum nemo vidit impiorum*, quia nimirum: *Non resurgent impii in judicio neque peccatores in concilio justorum*, Psal. I. idcirco a mysterio et gloria resurrectionis spectanda jure amoti sunt.

Tertio, quia: *Voluit hoc miraculum aliquatenus esse occultum propter invidiam Judæorum, ne per hoc daretur eis major occasio persequendi eum ante tempus*, inquit Didacus Stella, in capite VIII. Lucæ. Noluit tamen prorsus esse absconditum, ne omnino ignoraretur. De jure autem sufficiebant tres apostoli, quia: *In ore duorum vel trium stat omne verbum*, Deut. XIX. Docuit ergo nos ex operibus nostris gloriam nostram non quærere: sed soli Deo velle placere, ne dum hominum gloriam quærimus gloriam Dei perdamus. Hugo de S. Victore dicere consuevit: *Superbia aufert mihi Deum, invidia proximum, ira meipsum*. Deum aufert vana gloria unaque meritum operis boni. Hanc igitur qui sectantur stolidi et vecordes sunt, instar columbæ seductæ, non habentis cor (Ose. VII.) quæ sine omni resistantia et tristitia patitur sibi eripi pullos suos, singulis pene mensibus.

VI. Cur tenuit manum puellæ, et (teste Luca) clamavit: *Puella surge?* Resp. ad primum, apprehendisse manum puellæ ut satisfaceret voto et fidei patris qui dixerat: *Impone super eam manum, et vivet*, simulque insinaret divinam suam potentiam, qua nulli certo alligatus medio aut remedio, sed quavis ratione quosvis sanare posset morbos et depellere miserias, ita Did. Stella. Deinde, ut confirmaret quod paulo ante dixerat, non esse mortuam ipsi puellam, sed dormire; apprehendit enim manum puella et erigit eam sicut excitare solemus aliquem e somno.

Resp. ad secundum, clamorem adhibuisse, ut indicaret non præsentem vocari animam, sed absentem, in occulto aliquo receptaculo interim detentam. Mox enim ut audivit hanc vocem: *Spiritus puellæ, reversus est in corpus ejus*, ut scribit Lucas. Rursum ut ostenderet verbi et imperii sui potentiam, cui etiam ipsa mors, potentissima alioquin et omnium viventium domitrix statim et in puncto obedire debeat. Non orabat, nec se fatigabat, cum miracula patrabat, uti fecerant Elias et Elisæus; sed cum imperio jubebat, quod imprimis mirabantur Judæi; qui proinde ex hoc vel uno colligere ejus divinitatem debebant.

VII. Cur (teste Marco et Luca) præcepit vehementer parentibus puellæ, ne miraculum hoc divulgarent? Resp. primo, ne populi favorem, principum vero et Phariseorum invidiam erga se accenderet. Cum enim hoc miraculum primo, prædicationis anno ab ipso designatum sit, et adhuc multa alia per triennium patranda essent, conveniebat, ut hoc tantum miraculum non undique patefieret, ne magna nimis invidia æmulatorum in ipsum conflaretur, sicque Dominus ante tempus ad necem ab eis raperetur aut exulare, vel certe desistere a miraculis et prædicatione cogeretur. At vero ubi tertio prædicationis anno ad terminum et passionem suam appropinquabat, jam tunc hujusmodi miracula publice patrabat.

Secundo, ut suspicionem affectatæ gloriæ declinaret, maxime quia multa turba præ foribus expectabat et eventum præstolabatur. Sciebat quidem Dominus non omnino occultari posse miraculum, fecit tamen quod potuit, ne ipsius instinctu fieret manifestum, quo notam captatæ gloriæ hominumque plausum fugeret.

Tertio: *Servis suis*, inquit D. Gregorius, lib. XIX. mor. cap. XIV. « Exemplum Christus dedit, ut ipsi quidem virtutes suas occultare desiderarent; et tamen ut alii eorum exemplo proficiant, prodantur inviti, etc. » Id quod etiam Christo contigit: *Exiit enim fama hæc in universam terram illam*, inquit Matthæus; quamvis forte non statim per omnem omnino Judæam et Galileam: quod ut diximas impedire pro nunc voluit.

VIII. Quid mystice hæc puella notat? Resp. tres defunctos a Christo suscitatos triplicem indicare gradum peccatorum. Puella in domo, suscitata, significat peccatorem adhuc in peccato latentem: adolescens extra portam jam elatus, peccatorem publicum: Lazarus in sepulchro, peccatorem inveteratum, ita D. Gregorius, IV. mor. cap. XXV. Puella in domo, consensum in peccatum: Lazarus fetens, peccandi indicat consuetudinem, ita glossa. Puella in domo facile

ascitatur et manu erigitur : adolescens extra portam aliquanto majori opera, quia tangi debuit locus et sisti portitores : Lazarus adhuc majori cum impendio ; turbat enim se Dominus et lacrymatur prius, non quod his opus haberet, sed ut nos doceret peccata graviora graviore indigere remedio, ita ven. Beda.

Porro tria egit Dominus in suscitacione hujus puellæ ; clamavit : *Puella tibi dico : Surge, tenuit*

manum ejus, jussit ei cibum dari. Clamat Deus per conciones aliasque pias admonitiones in cor peccatoris, ut surgat a peccatis : erigit eum manu, cum absolvit penitentem manu sacerdotis et erigit a morte ad vitam animæ : jubet ei cibum porrigi, in s. communione, quæ confortat hominem, ut vitam illam conservet, et in bono perseveret.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

FOEDO LUXURIE MORBO REMEDIA DEPRONUNTUR.

I. Fuga. — II. Sensuum custodia. — III. Sobrietas. — IV. Laborum exercitatio. — V. Mortis recordatio. — VI. Precatio assidua. — VII. Dignus et frequens s. communio usus.

#### THEMA.

*Ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis. Matth. IX.*

Mulieris hujus morbus quid mystice designet, exponit ven. Beda, in cap. V. Marci, et Haymo episcopus Halberstadiensis in hodiernum evangelium, dum aiunt, fluxum sanguinis denotare : *Superfluitatem libidinis in carnali ardore libidinoso.* Ratio non una est : ex eodem, in primis, impuritatis fonte manat sanguis et semen : fluxus uterque fœdus est ; sed prior cum dolore sine peccato, posterior cum voluptate sed peccaminosa : tanto fœdior altero, quanto abominabilius est peccatum defectu naturali : denique, uterque morbus difficilem admittit curam. Bona illa mulier omne suum peculium in medicos expendit, nec tamen melius habuit, sed deterius, uti testatur Marcus, cap. V. Libido etiam tale vitium est, quod difficile sanatur. Nihilominus tamen, quia prorsus incurabile non est, remedia inveniuntur, quæ si debite adhibeantur, expugnare illud possunt, non secus ac vestimentum Christi stitit fontem sanguinis laboranti feminæ. Ea igitur nunc depromamus.

I. Præcipuum, solidissimum atque omnium efficacissimum omnium sententia est *fuga*. Quod in primis indicat apostolus, I. Corinth. VI. cum ait : *Fugite fornicationem.* Quem locum adducens S. Augustin. serm. CCL. de temp. « Cum apostolus, inquit, omnibus vitiis prædicaverit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non

dixit : Resistite ; sed : Fugite fornicationem. Ac sic contra reliqua vitia, Deo auxiliante, debemus in præsentem resistere, libidinem fugiendo superare. » Rationem exponit S. Thomas, II. II. q. XXXV. art. I. ad IV. quia, experientia teste, tanto magis homo libidine incenditur, quanto magis particularia de ea considerat. Nimis enim vehemens et acre est hoc vitium, maximo cum impetu et furore carnem invadens, instar furiosæ belluæ. Quare, sicut fugere ejusmodi feram non est dedecoris, sed rationis, ita et fugere libidinis occasiones atque incursus. Quemadmodum enim Josue per insidias expugnaturus urbem Hai, fugam primo arripuit, postea ex insidiis eam cepit, Jos. VIII. magna sua gloria : ita et in hoc castitatis certamine gloriosa est, ut exponit in eum locum Origenes, homil. VIII. *Ista, inquit, fuga est, quæ habet salutem : ista fuga virtutis est : ista, fuga beatitudinem confert.* Neque vero juvenes primi in ea fuga, sed senes fuerunt, in fronte exercitus, ut ibi dicitur : *Ne viri robusti turpe putarent fugere, sed senum auctoritate revertentur,* inquit Cajetanus. Minus malum est fuga salutem sibi parare, quam in pugna perire : quemadmodum quidam nostri temporis miles, Piccininus nuncupatus dixit : *Minus malum est dici : Piccininus hic se a bello subtraxit, quam hic victus jacuit.* Qui cum homine sordibus oppleto luctatur, quamvis eum prosternat, immunditiam tamen contrahit ex illius contactu : ita qui cum luxuriæ vitio resistendo pugnat, mentem suam cogitationibus saltem immundis aliquatenus collutulat, quamvis illud superet. Præstat igitur leporem et columbam esse in hoc certamine, quam leonem et accipitrem, qui ex capta præda eruenta reportant membra, ora vel rostra. Vicit hac pugnandi industria et quidem gloriose, castissimus ille Joseph, tot laudibus affectus a ss. patribus, Genes. XXX. Fugiendæ

igitur in primis impuræ societates et loca suspecta. Bellici tormenti usum habent Gotthi, quod *blidam* vocant. Eo, fundæ instar, gravissima pondera emittuntur. Tradunt olim in obsidione urbis Calarmensis anum Gottham in tormenti funda, quietis captandæ gratia, se collocasse, et incaute soluto obice, per aerem in hostilem urbem emissam, miro eventu in fœni struem decidisse, et in multos annos supervixisse, Olaus, I. XXI. c. XXXIV. septent. regionum. Ubi cubas, ubi sedes, adolescens, quando inter puellas et lenas recumbis et discumbis ? In hujusmodi tormenta et blida te incaute collocas, ubi levissimo impulsu excutieris in hostilem urbem, in ergastulum dæmonis, unde saltes in gehennam : neque in molle fœnum decides, sed in ignem æternum.

II. Sensuum custodia, præsertim oculorum. Hoc præscribit in primis Eccles. c. IX. dicens : *Ne respicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueis illius. Cum saltatrice ne assiduus sis : nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore ejus.* Nam ut ait B. Nilus abbas, orat. II. de luxuria : *Mulierum aspectus sagitta veneno illita, quæ ferit animam et venenum immittit, et quo diutius manet, eo magis vulnus computrescit, atque huic vulnere nulli ad declinandum apti clypei reperuntur.* Testes sunt illi *fili Dei*, h. e. filii Seth ob justitiam, temperantiam et sanctitatem celebres, in quibus proinde Dei imago clare relucebat ; qui demum, ut dicitur Gen. VI. *Videntes filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi ex omnibus, quas elegerant,* et commiserunt talia scelera, quæ ut eluerentur, diluvio opus erat. Testis etiam David, et ipse sanctissimus, qui hac sagitta vulneratus fuit. « Ut enim ignis (inquit D. Chrysost. hom. III. de verb. Isaia : *Vidi Dominum*) ubi fœnum aliquod aut culmen corripuerit, nihil moratur, sed simul ac attingit materiam, lucidam accendit flammam : itidem et ignis concupiscentiæ, quæ est in nobis, simul atque per oculorum introitum, elegantem ac venustam attingit formam, protinus exurit animam, etc. » Hinc edoctus Job pepigit fœdus cum oculis suis, ut ne cogitaret quidem de virgine, Job XXXI. Singularis etiam in hac cautela fuit S. Hugo episcopus Gratianopolitanus ; qui etsi per quinquaginta duos annos crebro feminarum nobilium confessiones exciperet, ita tamen oculos ab eis avertēbat, ut nullam de facie, si forte obviaret, agnosceret. Cumque aliquando præpotens aliqua fucata faciem in mutuo colloquio insolenter ostentasset, interrogatus postea de hoc, quare eam non arguisset,

respondit, se ejus faciem minime vidisse, in vita I. april. ap. Sur. Par ratio est de colloquio et maxime de contactu, ubi maximum cernitur periculum. *Viret herba quæ aquis propinqua est : libidinis affectus in muliebri colloquio,* ait B. Nilus, orat. de fornicatione : et D. Ambrosius, lib. I. de pœnit. cap. XV. *Verba inquit, petulantis mulieris cupiditatum retia sunt, manus ejus amoris nodus est.* Rarum et fere inauditum est quod scribit B. Petrus Damiani, lib. II. epist. ep. XVIII. ad Desiderium car. « In quodam monte orientis, inquit, lapides igniferi, qui masculus et femina nuncupantur, et dicuntur pyroboli. Qui nimirum dum a se invicem procul sunt, non accenduntur : si vero femina appropinquaverit masculo, protinus ex eis ignis egreditur ; ita ut omnia quæ circa montem sunt, flammis vaporantibus exurantur. Ab ipsis ergo lapidibus edocemur, ut si consumi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectus speciem declinemus : ne de conspecta forma flamma prosilia, quæ in nobis non montis sed mentis fruteta pervadat. »

III. Sobrietas, seu ebrietatis fuga. Hoc remedium exhibet apostolus ad Ephes. V. † XVIII. *Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est luxuria.* Causam assignat D. Hieronymus, epist. LXXXIII. ad Oceanum : *Quia venter mero æstuans cito despumat in libidines :* et D. Basilius, lib. de vera virgine. « Ecce, inquit (Job, cap. XL.) virtus ejus in lumbis ejus, et potestas ejus in umbilico ventris. Venter enim distento epulis, necesse est ea, quæ sub ipso sunt, membra ex humoris redundantia in profundo ferventis ad propria et naturalia officia moveri. Quippe superior venter suppetit illis incentiva libidinis : » et S. Greg. Naz. in sentent. « Sic natura comparatum est, ut immodicam satietatem libido comitetur. Ut influens materia flammæ vires addit : ita vinum languentem libidinem excitat. » Quare Cyrillus Alexan. in Levit. I. VII. luxuriam appellat : « Primogenitam ebrietatis filiam. » Exempla adducit S. Hieron. in epist. cit. Noen et Lothum. « Noe, inquit, ad unius horæ ebrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat : Loth, per tumultantiam nesciens, libidine miscet incestum, et quem Sodoma non vicit, vina vicerunt. » Quare qui libidinem coercere cupit, crapulam devitet. Festive Albertus Magn. serm. in dom. I. quadrag. ait : « Castellanus fama subactus, castrum trahit ad libitum impugnantis, sic luxuria per famem domita corpus ad libitum hominis et rationis tradit. » Nabuzardan princeps coquorum Nabuchodonosoris destruxit muros Jerusalem, uti legimus IV. Reg.